

rum fidem et probitatem emulantes prompti et parati sumus, carissimi imperatoris nostri et domini negociis opem ferre animo volenti et corde perfecto, nos et nostra<sup>a</sup> pro bono statu et prosperitate imperii ressertiendis pro viribus exponere, quia in pace et prosperitate imperii nostram pacem et prosperitatem consideramus reformari. Verumtamen postquam Romanum vacavit imperium, civitatem vestram Bisunt(inam) tamquam viduam et desolatam circumdederunt<sup>b</sup> mala, quorum non est numerus. Et nulla nos tuente iusticia impugnaverunt nos inimici nostri ferocissimi, volentes civitatem vestram, que nulli unquam servivit nisi Deo et Romanorum imperatori, in suam redigere servitutem. A quibus sumus multipliciter oppressi et gravati, coangustati undique, prohibiti ingredi et egredi, mercationes et agriculturas exercere, vinee etiam et arbores excisse, predati, spoliati et etiam crudeliter debellati et captivati, tamquam si dicerent hostes quamplurimi: 'Deus dereliquit eum; prosequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat'<sup>1</sup>. Quasi essent<sup>c</sup> de illis, quos describit<sup>d</sup> sapiens<sup>2</sup> sic dicentes: 'Insidiemur<sup>e</sup> sanguini, ascondamus tendiculas contra insumptem frustra, degluciamus eum sicut infernus viventem, omnem preciosam sustanciam reperiemus, implebimus domus nostras spoliis'. Propter que populus vester est imminutus depa[u]peratus et status civitatis vestre deterioratus et collapsus et communitas civitatis maximis debitis mercatoribus publicis obligata, adeo ut si cognosceretis, posset verificari de vestra pietate et clemencia illud quod de Christo dicitur: 'Videns dominus civitatem flevit super eam'<sup>3</sup>. Propter quod maiestatem imperatoriam et ingenitam vobis a Deo clemenciam<sup>f</sup>, quam bonus<sup>g</sup> odor fame vestre longe lateque diffundit, humiliter deprecamur, quod<sup>h</sup> nos habeatis quo ad presens de mittendo vobis auxilio excusatos<sup>i</sup>, quia nobis etiam non sufficimus nos et civitatem vestram deffendere, sed confidimus et requirimus per vestram virtutem, providenciam et strenuitatem a p[re]dictis gravaminibus<sup>k</sup> relevari<sup>1</sup>. Nam dicimus inter nos congaudendo: 'Noli timere Syon filia, ecce rex tuus tibi veniet mansuetus et iustus<sup>4</sup>, qui omnem

---

a) 'nostram' Copie. b) 'circūderūt' Cop. c) 'essē' Cop. d) 'b' über 'p' corr. Cop. e) 'Insidiamus' Cop. f) 'clemācia' Cop. g) Folgt getilgt 'fame'. h) 'qq' Cop. i) 'ex' verwischt Cop. k) 'gravaminibus' Cop. l) Fraglich ob 'eu' oder 'ax' corr. Cop.

1) Ps. 70, 11. 2) Prov. 1, 11. 3) Luc. 19, 41. 4) Joh. 12, 15. Matth. 21, 5. Zach. 9, 9.